




THRENODIÆ
In
Præmaturum quidem at beatum obitum,
Viri Præstantissimi atq; Doctissimi,
Dn. MICHAELIS STÖBELOVII,
Inferioris Judicij Stetinensis Advocati & Procuratoris solertissimi, nec non Judicij Nautici Notarij fidelissimi,

Qui Natus anno æræ Christianæ 1595. d. 5. Sept. Denatus anno 1638. d. 4. Febr. h. i. noctur: & d. 9. Febr: in Templo Jacobæo honorificè sepultus,

Gratæ memoriæ, condolentiæ & consolationis ergò scriptæ.

STETINI, Typis GEORGII GOETSCHII.



Onfectum morbis & curis, Docte Michaël,
Te nova lux lunæ morti dat, ſed nova Solis
Juſtitiæ exoriens lux reddet ſtamina vitæ,
Et lucis nunquam mortis mutanda tenebris.

αὐτοσχεδ. occupatiſſimus ſcribebat
C. Schultetus D.

IN medijs vitam tibi [proh dolor] eripit annis,
Mi MICHAEL vetus & ſuavis Amice, phthiſis.
Nam medicam vincit morbi vehementia curam,
Ut, quum iterum Phœbo Cynthia juncta, cadas.
Hinc mœſta eſt Conjunx, frater, materq; ſuperſtes,
Affinesq; tuos hinc dolor excruciat.
At vos Agnati luctum cobibete, nec Uxor
Indulge nimium fletibus & lacrymis.
Defuncto præſtat gratari ex corde quietem,
Quâ fruitur celsâ lætus in arce poli.
Nam non tabificos morbos timet amplius, omnes
Contemnitq; tuas Hectica dira minas.
Evaſit lernam, cœlum ſubeundo, malorum,
Natabusq; ſuis junctus & eſt Superis.
Et vos lugentes defuncto morte viciſſim
Junget in æthereo vita beata polo.
Felices, bene qui decurſo tramite vitæ,
Quod nos Optamus, jam ſuper axe tenent.

gratæ memoriæ & condolentiæ teſtandæ
ergo f.
poſt interlunium ſecundum hujus anni 1638.
Laurentius Eichſtadius, Medic. D. & Phyſic9
Ordinarius in Stetino Vet. Pomer.

TAm subitò videam tua funera mœsta MICHAEL,
Devinctum affini Pectus amore mihi?
Hæc non sperâssem, medijs currentibus annis
Vitæ, sperabam tempora longa fore.
Sed spes illa nimis citò me, proh fata! fefellit,
Ex hoc dum mundo funere mersus abis
Verè Ego morte tuâ tristor, tristantur Amici:
Tristatur conjunx, totaq; nostra domus.
At quid tristemur? non nostræ tempora vitæ
Volvuntur casu, sed DEUS ista regit,
Hic vitam repetit, repetenti cedere justum est:
Nam vitæ nostræ jus habet atq; necis.
Hic vitam in cœlis fragilem meliore beabit,
Conspectu fruitur mens ubi læta DEI.
Gnata MARIA, annô veteri quam jure dolebas
Defunctam, nunc est viva reperta tibi:
In CHRISTI namq; Illa sinu lætissima tecum
Vivit in æternos non moritura dies.
Nec mora longa, polo taratantara clanget ab alto,
Buccina, quæ bustis mortua membra citet.
Corporibusq; animas jungat, vivosq; peremtis
Associans, CHRISTI nos vocet ante thronum.
Interea MICHAEL mihi dilectissime salve,
Perpetuum salve, perpetuumq; vale.

Dilectissimo & desideratissimo suo Affini ponit affinis mœstissimus
M. JACOBUS WINNEMER
ad D. Jacob. Diac.

FIliolam sequeris, STOBELOVI, uxore relicta,
Hac annon istâ carior esse solet?

 Inco-

Incola sed cœli mage te trahit, atq; voluptas
In thalamo. Ipsa uxor vult quoq; pone sequi.
Et nos, cum DOMINUS jubet, illuc tendimus omnes.
O utinam dignos occupet Hora DEI!

M. JOH. MICRÆLIUS.

EPITAPHIUM

Dn. Michaëlis Stöbelovij, fratris mei desideratissimi.

UNicus hacce cubat frater-Germanus in urnâ,
Cûi subitâ vitam Parca severa manu
Fregit, & (heu) tristi Matri reliquisq; propinquis
Æternum peperit cordolium & lachrymas.
Firma igitur speres tibi gaudia nulla viator
Est siquidem vanum, quicquid in orbe vides.

positum à

Johanne Stöbelovio, Past. in
Pommerensdorff / Scheuna rc.

VIta hominum brevis est, curarũ mole gravata,
Qvam morbis fractam mors inopina rapit!
Res ex Te loqvitur, Stöblovi: *Nam tibi curæ,*
Curia qvas peperit, Nautica qvasq; domus,
Acceleraverunt morbos, , sub flore virili
Qvêis fractus mortis cuspide tactus obis.

Pro

Pro curis reqviem, pro morbis corpora sana,
Pro mortâ vitæ stamina longa trahis.
Ergò suspendat lacrimas cum conjuge Mater,
Qvum tibi mors vitæ janua certa fiet.

Condolentiæ & consolationis ergo f.

M. Martinus Bambamius P. L.
& Sch. Sed: Sen: ConR.

SIccine Stöblovi, Legum Themidosq; diserte
Cultor, succumbis funeris ante diem?
Lentivorax morbus te sensim viribus ægris
Exuit, hinc mortis vis violenta rapit.
Protelare quidem potuissent stamina vitæ
Parcæ, sed parcunt more suo solito.
Ambiguo morbo nostrum luctatus uterq; est
pridem; tu primus morte peremtus obis!
Sic sæpe ambiguum, sic ad mortem mage pronum
Exire è lucta libera fata volunt.
Sed qui primus obis, charis subtractus amicis,
Me prior emeritus cœlica regna subis.
O utinam egisset Dominus simili vice mecum,
Dixissem mundo sponte lubensq; Vale.
Vivere namq; diu, nihil est nisi plura videre,
plura pati assiduè, plura patrare mala.
Ah! quis præ ferijs optaret facta operari,
Mercedem expectans quæ nocitura animæ?
Verùm, quâ frueris, requiem tibi gratulor, inter
Sanctos qui residens gaudia mille capis.

Deliciæ prosint, prosit mutatio grata
Nos & anhelantes opperiare; *Vale.*

Dn. Amico & Vicino desideratiß.
ultimi honor. & recordat. e. app.
Joannes Schultz Cant. S.S.S.

In exeqvias Dn. Michaelis Stöbelovij
Consangvinei mei desideratisſ.

JUris qvi Libros magno conamine volvit,
E Themidos stadiô cogitur ire suæ.
Scilicet ad superam Michael Stöbelovius arcem
Cœli invisibilis fertur amore Dei.
Glorificare Deum perget concentibus altìs
Ante thronum Christi, secula qvousq; manent.
Jacobus Möllerus C. S. S.

Piè defuncto Dn. MICHAELI STÖBELOVIO,
Amico desideratissimo.

NOn moritur, vitæ potius diadema perennis,
Qui CHRISTUM toto corde recepit, habet,
Et moribundus ovat felix expersq; malorum,
Amittens præter damna priora nihil.
Hinc non immeritò Vir Consultissime, Vitâ
Gratamur reliqui de meliore Tibi,
Qui propiore tui nunc consuetudine CHRISTI
Gaudes, qui vivis, quiq; dolore cares.

Der

DEr wird nicht durch den Todt/ den Menschen Graß/ verhönet/
Sondern lebt ewiglich/ vnd wird dort wol gekrönet/
Der fest an Christum gleubt/ vñ jhn im Hertzē trägt/
Jst Seelig vñ voll Frewd wañ Er sich schlaffē legt/
Vnd Jhm muß nichtes mehr dann seine Noth entbrechen.
So thut man billig Euch nun einen Glückwundsch sprechen/
Das Jhr/ Herr Stöbelow/ bey Ewrem HERRN Christ
Schmertzloß vnd Frewdenreich lebet zu aller frist.

Thomas Wismarus.

SEu fortuna favens vento impellente secundo
Propositam cymbam ad littora tuta vehat,
Sive Notho nimium sors indignante novercās
In scopulos rigidos naufraga transtra ferat,
Seu nos ærumnis adversis fata fatigent,
Seu robur tentent prosperitate tuum,
Seu metuenda forent truculentæ spicula mortis
Seu te deseruit Connubialis Amor
Æqualem quovis servato tempore mentem
Ceu stare æquali pondere libra solet

Stre-

Strenuus ut miles perge & luctare suborto
Cum luctu, invicto pectore vince malũ,
Impavidum feriat sit quanta ruina tuorum
Pharmacon in cœlis, quo recreeris, habes,
Sic mentem ornatam pietatis amore tueri
Assiduèq; preces continuare decet,
Namq; ita difficiles superabis in orbe furenti
Calles & mundi monstra verenda trucis
Donec suspendas in cœlo Anathemata honoris
Mortis ubi & Martis fracta phrenesis erit.

Ita solari voluit lugentes
Joach: Streckerus SSS. C.

FINIS.



